Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2193

Quelle:
Copyright:

dicelles. Icones paſſim quadrifariam ſectae totidem repraeſentationes exhibent. Ridiculum, pluries comparere *Eliam* Prophetam Carmelitani habitu, neque ſatis biblicum *fol.* 3. praeter panem etiam pernam illi a corvo adferri. Picturae ceterum eadem ratio, quae in Libellis precatoriis *Pariſiis* exeunte Sec. XV. ab *Ant. Verard. Phil. Pigouchet*, *Sim. Voſtre* &c. in membrana excuſis, unde et praeſentem *Pariſiis* ſcriptum cenſeo. Poſſedit illum an. 1585. e *Rogendorfiis* noſtratibus quidam, cui pro Symbolo, uti ſolebant: *Forte Fortune Force* q. d. Fortem FortunaeArbitrum eſſe.

DCCCCXXI.

C. 949. Codex membraneus lat. ital. Sec. XV. Folior. 256. 12. liquore peculiari fulgido argentum, aut verius chalybem politum referente eleganter exaratus, Literis non tantum initiorum, ſed marginibus etiam paſſim auro florulentis, Icunculis VIII. artificioſe depictis ornatus, adlatusque e Parthenone *Halenſi Tyroleos* diverſa primum pietatis exercitia hoc ordine continet: Formulam Confeſſionis, Miſſam de B. V. *Maria*, Officium de eadem, Pſalmos *graduales* orationibus ad eandem interſtinctos adhaerentibus Litaniis ad earum modum, quas *Lauretanas* vocant, Pſalterium *Hieronymo* perperam adſcriptum, Pſalmos *Poenitentiales* cum Litaniis SS. et de Cruce, et aliis de B. V. Pſalmos ſelectos inſcriptos *ad deuotionem crucifixi*; dein vero *fol.* 157. ſuccedit Συλλογη variarum Sententiarum de diverſis Virtutibus et Vitiis in *Capita* XLV. digeſta, auroque ita inſcripta: *Queſto libro ſie componudo dela ſcriptura deli ſancti doctori dela ſcriptura diuina et deli phyloſophi naturali. Et ſie fata per la ſalude de lanima et del corpo.* Sequitur Index *Capp.* eadem veteri lingua *Italica*, quae in multis monet *Hiſpanicae*, tum ipſum C. I. hoc initio: *De Humilitate. Ubi eſt humilitas ibi eſt ſapientia. En quela parte ſie ſapientia oxe* (ove?) *humilitade. Quanto major es humilia te in omnibus. Quanto tu e maçor en tute coſe piu te humilia* &c. Atque ita cuivis Dicto ſua ſubjicitur verſio, ſed index ille praevius infidus eſt; ultra illum enim excurrunt XXIX. alii Articuli morales, quorum ultimus *De fornication* ita terminatur: *Non meio ſe po uençere le femene come fuçirle. Fol.* 231. Reſumuntur Orationes variae, atque inter eas Hymnus *Stabat mater* &c. uſque ad finem. Libellum ad uſus cujusdam e Domo *Burgundica* ſcriptum fuiſſe arguitur e Scuto gentilitio *fol.* 23. viſendo; cum vero *fol.* 154. p. 2. in Scuto cujusdam Genii *Lilium Provinciae* compareat, fortaſſe *Catharina* Ducis *Johannis* filia reſpicitur, quae a. 1410. Comiti *Guiſio Ludovici Andegavenſis* et Com. *Provinciae* filio deſponſa, ſed remiſſa *Gandavi* deinceps obiit.

DCCCC-